1719

3 aout

# Decretum

feriâ 5a die 3 Augusti 1719.

In congregatione sanctæ Romanæ et universalis inquisitionis habitâ in palatio Apostolico montis Quirinalis coram sanctissimo Domino nostro Clemente divinâ providentiâ Papâ 11 ac eminentissimis et Reverendissimis dominis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus in totâ republicâ Christianâ contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ sede apostolicâ specialiter deputatis, sanctissimus dominus noster Clemens Papa 11 cum accepisset non sine gravi paterni sui animi moerore in lucem editum fuisse et magnâ quidem bonorum offensione atq; animarum periculo evulgatum librum cui titulus est Premiere Instruction pastorale de S E Mr le C. de Noailles Arch. de Paris au clergé seculier et regulier de son diocese sur la constitution Unigenitus Parisiis impressum apud J. Baptistam de Lepine anno 1719 habitis prius plurium doctissimorum ac insignium in sacrâ theologiâ magistrorum et

professorum, nec non memoratæ congregationis Stæ Romanæ ~~[illegible]~~ et universalis inquisitionis qualificatorum quos ad id specialiter deputavit consultationibus ut rei gravitas postulabat, ac subinde auditis votis Eminentissimorum et Reverendissimorum dominorum Stæ Romanæ ecclesiæ cardinalium inquisitorum prohibendum atque damnandum censuit prout præsenti decreto omnino prohibet et damnat librum præfatum utpote continentem doctrinas et assertiones falsas, captiosas, seditiosas, scandalosas, præsumptuosas, temerarias, omnibus catholicis episcopis ac præcipue gallicanis, ipsique apostolicæ sedi multipliciter injuriosas, erroneas, hæreticis, hæresibus et schismati faventes atque etiam schismaticas et hæreticas respective.

Hunc itaque librum sic prohibitum et damnatum Sanctitas sua vetat ne quis cujuscunque status sit et conditionis ullo modo et sub quocunque prætextu iterum imprimere vel imprimi facere, neque jam quocunque loco et quocunque idiomate impressum apud se retinere aut legere audeat, sed eum ordinariis locorum aut hæreticæ pravitatis inquisitoribus statim et cum effectu tradere et

consignare teneatur sub poenā excommunicationis per contrā facientes ipso facto absq; aliā declaratione incurrendae aliisq; poenis arbitrio sanctitatis suae infligendis.

Joseph. Barcholus Stae Romae et univsalis inquisitionis not.

Die 12 Aug. 1719 supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae S.S. Apostolorum. l.

Case
Wing
folio
Z
144
.A1
v.4
no.27

THE NEWBERRY LIBRARY